DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MEDICO PHYSICO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO ARCHIATRO

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. ejusdemque Facultatis Professoris Ordinarii.

NECNON

Amplissimi Senatus Academici unanimi Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

JOHANNES CHRISTIANUS HABERKORN,
Camentio-Lusatus.

Die 13 Iulij, horis locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCIII.

DEO
PRÆCEPTORIBUS
PATRONIS
ET
PROXIMO


Quicquid dignum ex hiſce
& cæteris ſuis conatibus
proficiſci poterit

humillimé & ingenuè conſecrat
& dedicat



JOHANNES CHRISTIANUS HABERKORN;

Auctor.



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MEDICO PHYSICO.

THESIS I.



ullus ſanè inducitur rubor Arti, utut liberaliſſimæ, quæ Aſclepiadea audit, quod cultores ſuos miniſtros faciat. Nec miniſtri ipſi habent, cur ideò oculos ſuos dimittant, cum potius hac occaſione eâdem cum Aulicis licentia potiuntur de officiis ſuis miniſtratoriis gloriari, & inſtar planetarum ſplendore licet non independente præ reliquis mundi corporibus eminere. NATURA enim hæc eſt potentiſſima Gubernatrix, cui hoc loco miniſtratur: & veri hi *Naturæ miniſtri* non ſervi, ſed domini, domini & artifices morborum ex hoc miniſterio evadunt, qui etiam Imperatoribus ipſis non rarò (per leges diæteticas) blandè imperant, & præterea omnino *juxta Senecam* apud ægros in deſiderio, & apud ſanos in ſummo honore ſunt. Præ-

 tereo

tereo autem in præsenti omnes meretissimas præstantissimæ hujus artis medicæ laudes, & ex tantis Authorum elogiis unicum saltim Hippocraticum hoc invidioso & ignoranti Osori oppono; quatenus nempe *à divo Sene in lib. qui Lex inscribitur, primis verbis* Ἰητρικὴ τεχνέων πασέων ἐπιφανεστάτη; Medicina omnium artium præclarissima, *& in lib. de ornatu decenti. c. v. §. 1.* Ἰητρὸς ἰσόθεος, MEDICUS DEO ÆQUALIS proclamatur. Sanè enim vana gloria non est, si terræ filius Ἰσόθεος & supra humanitatis sphæram beatus existit, modo non imputativè saltim, ut Agyrtis & medicastris id accidat, sed ex merito eam ipsam gloriam tanquam propriam & loco præmii reportatam medicus possideat; id est si ex ipsius Hippocratis in lib. περὶ εὐσχημοσύνης præscripto non tantum naturam, industriam, suavitatem morum &c: sed etiam imprimis sapientiam ad medicinam, & medicinam ad sapientiam transferat, vel uno verbo PHILOSOPHUS sit; Hic enim DEO æqualis existit, nec multa inter ipsum differentia est, prout Divum hoc Oraculum *in lib. cit.* pleniori bucca effatur.

TH. II.

Collegit autem in unum quasi fasciculum prolixa de hac re Hippocratis verba, & tam compendiose, quam nervose excerpta in Dissertationem suam (pro loco) Jenæ habitam transtulit *Celeberrimus Medicus Hippocraticus Excellentissimus Dn. D. Schellhamerus, Præceptor & Patronus meus æternum devenerandus*; quod sc. ad mentem ipsius Hippocratis MEDICUS PHILOSOPHUS sit ille, *qui ægrotis operam dans, in arte sua recte argumentari scit, & in vita communi optimus est moribus.* Cui apprimè assentire videtur *Medicus Optimus Galenus, qui in lib. suo, nisi fallor 1. Sect. III. de optimo medico, qui idem & sit philosophus* aliter nihil facit, ac divi senis mentem explicat & ejusdem sententiam ita approbat: *Certo nos primum studium debemus in philosophiam consumere, si veri Hippocratis æmuli esse & arte probè uti velimus, ne venefici magis quam medici simus, & artem in contrarium scopum ejusdemque abusum detorqueamus. Et quid ergo* (pergit) *jam restat, cur medicus non sit Philosophus? is imprimis qui Arti operam Hippocrati dignam impendat? si enim ut corporis naturam cognoscat, & morborum differentias, & præsidiorum indicationes, eum rationalem contemplationem exercere oportet, & præterea divitias contemnit, sobrietatem amplectitur &c. hic jam omnes philosophiæ partes habebit, nempe eam quæ rationalis, eam quæ naturalis, & eam quæ moralis est.*

Hæc itaque tripartita Philosophia medica est, ut nimirum medicus (1) Ἰσόθεος & optimis moribus sit, τὸ θεῖον in medicina conspicuum maxime attendat, ex pietatis amore Numini divino concedat, virtutes morales exerceat, & uno verbo Prudentiam ex medicina, *quæ juxta Clariss. Scherbium* vel ipsa prudentia est, vel ad minimum tamen non sine ea est, discat. (2) Ut *tanquam fidelis naturæ minister* semper eò intendat, quò *natura* vergit, & in eá adjuvanda & conservanda viam naturalem presso pede insistat. (3) Felix causarum indagator sit in statu perturbato præsentia cognoscat, præterita ruminet, & futura mediante artificiosa argumentatione prospiciat. Quod triplex fundamentum necessario in arte medica ominosum & infallibile faustum *Trifolium* constituit; Cujus tamen in præsentiarum, ne totius, sed unius saltim folii, quod videlicet *Philosophiam naturalem* involvit, aliqualem explanationem ab ingenii mei imparitate & dimenso pagellarum spatio expecteris, sed nihilominus interea hisce meis conatibus censuram condonetis velim. Imprimis verò NATURÆ DOMINUS, & ARHCIATER SUMMUS, ut, uti hactenus studiis meis clementer adfuit, etiam jam & in posterum ea ipsa ad sui gloriam, & proximi ægrotantis salutem dirigat, supplex oro atque rogo.

TH. III.

Interest itaque non parum, ut medicus ibi incipiat, ubi Physicus desinit, nempe ut sciat scientificè, quid corpus sit? quomodo moveatur & alteretur? & in quantum distet τὸ Naturale à præternaturali? Hinc etiam tam expressè *Cous noster in lib. de sterilibus, c.* 18. §. 1. *urget.* πειρῶ ἢ φυσικὸς εἶναι: CONARE UT PHYSICUS SIS &c. & aliis locis pluribus plures easdem admonitiones inculcat, quas angustia pagellarum jam non capit. Sufficit interim, quod omnium consensus testimonia eludat, & per se pateat, *Naturæ ministrum* scire, imò accurate scire, nec dispendioso illo compendio contentum esse debere, quasi omnem scientiam naturalem sola *Physiologia* contineret, quæ tamen indubiè simul cum suis satellitibus, Anatomia, Botanica, Chymia tantum ad PHYSICAM, tanquam Pars ad suum totum, pertinet, & saltim hactenus ex commiseratione & metu ulterioris sub barbarie occultationis à medicis adoptata est. Neque etiam illi curiositati physicæ nimium confidat medicus, quæ aliorum tantum somniis subscribit, Autorum resoluta phœnomena memoriter recitat,

Mundi Systema admiratur, Elementa per numerum distinguit, Asterismos nominetenus novit & terreni Gazophylacei confuso aspectu delectatur; hæc enim tantùm Umbra philosophiæ est. Sed Γνησιος φιλόσοφ☉ & verus naturæ minister ulterius progreditur, & physicam scientiam in tantum, in quantum possibile est, exhaurit, rerumque naturam non aliter ac ex ipso *Naturæ libro per sensus & rationem* discit. Certa enim & hoc loco veritatis trames quærenda est, cum non perinde sit, cui opinioni & Sectæ adhæreamus, à veritatis enim via quisquis aberraverit, non ad philosophiæ duntaxat tribunal, sed ad iatriæ etiam causam dicere tenebitur, ubi non de lana caprina, sed de humano corio respondendum erit. Interim tamen hoc saltim dolendum est, quod in hac imperfectione nostra eò nondum pervenire licet, ut omnium rerum & phœnomenorum adæquatam & semper demonstrabilem scientiam habeamus, sed omnis nostrarum scientiarum perfectio solummodò respectiva sit, ut si modò fœcundiorem præ steriliori hypothesin amplectemur, satis nobis fecisse meritò videamur. Et hoc est, quod etiam mihi indubiam Lectoris indulgentiam promittit, quando in præsentiarum pro infinitarum opinionum labyrintho aliquale verisimilius filum Ariadnæum texere, & præ Aristotelicorum facultatibus inexplicabilibus, Chymicorumque insufficientia PHILOSOPHIAM, quæ CORPUSCULARIS vulgò audit, & fundamentum in DIVERSA PARTICULARUM seu CORPUSCULORUM MODIFICATIONE ratione MAGNITUDINIS, FIGURÆ, SITUS, NEXUS, MOTUS ET QUIETIS habet, eligere placuit.

Th. IV.

Primum autem quod nobis occurrit, est ænigmaticus ille terminus NATURA, quæ ab his pro communi qualiumcunque mirandorum effectuum asylo habetur, ab illis pro DEA alma religiosè adoratur, ab aliis aliter ignoratur, nobis tamen facillimè *ex Principiis naturalibus Materia & Forma* convenienter mediante *motu*, tanquam principio activo externo combinatâ eruitur, & non aliter *ac Essentia rerum* à varia partium structura dependens consideratur. Vix enim opus videtur in physicis phœnomenis resolvendis immediatè *ad Naturam naturantem i. e. DEUM* recurrere, siquidem ipsi semel placuit nobiscum per causas secundas agere, ut finitus intellectus noster infinitam DEI potentiam & sapientiam capere,

pere,

pere, *Finemque* qui sempiterna ejusdem gloria est, agnoscere possit. Hæ vero causæ secundæ ad mentem recentiorum aliter nihil sunt, quam principia rerum essendi, nimirum abstractivè sumpta vel *Materia* illa realis physica (primæ illi philosophorum imaginariæ contradistincta) trina dimensione prædita, & sub λεπτομερείας seu particularum minutissimarum congerie conceptibilis, omnibus corporibus *existentiam* concedens; vel *Forma* corporum *Essentiam* constituens, quatenus materiæ potentia, quam ratione extensionis & partium suarum extra partes positionis habet, *Mensurabilitas*, *Mobilitas*, *divisibilitas*, *Figurabilitas &c.* dicta in actum vel jam antea deducta est, nempe in primævis mundi corporibus totalibus; vel adhuc in actum denuo deducitur, quatenus corpora mundi partialia hoc tempore mediante *motu à DEO ipso semel immediatè ab initio concreato & etiamnum integrè conservato*, juxta particularum magnitudinem, multitudinem, figuram variam variè modificantur & disponuntur, ut has vel illas essentias & facultates suscipiant. Et hinc in *Corruptione* & exinde denuò nata *Generatione* corporum etiam nihil aliter fit, quàm quod particularum situs pristinus mediante motu vel in vel externo mutetur; *in Nutritione & auctione* particulæ novæ apponantur, in *Decremento* semel appositæ sine novarum accessu transpirent vel decidant, & in *Alterationibus* corporum diversissimis particulæ aliæ ejiciantur, aliæ reassumantur, aliæ aliter disponantur & inter se commoveantur, ut inde induratio, mollities, humiditas, siccitas, fermentatio, putredo &c. corporibus accidat. Ex quibus tandem cognitis, statim per se quoque ipsorum corporum constitutorum effectus in oculos incurrit, & ex intimiori structuræ & texturæ rerum consideratione facile patet, corporum *calorem & frigus* non in peculiari qualitate calefaciendi & frigefaciendi, sed in particularum vel velociori vel tardiori motu ad nostræ vitalitatis principium comparato consistere; Item *Humectationem Exsiccationemque* vel mosecularum molliusculatum glabritiei in poros insinuabili, vel ipsarum aridæ rigiditati adscribi debere. Quod & de reliquis qualitatibus Physici experiuntur, v. g. *Lucem* in Elemento primo seu materia subtilissima celerrimè mota; *Lumen* in pressione rectilinea particularum æthercarum; *Colorem* in reflexione & refractione diversa Luminis; *Sonum* in allisione & aëris motu tremulo; *Odorem & saporem* in effluviis & particulis variè figuratis & hinc diversimodè afficientibus;

Tacti-

Tactiles qualitates, *Raritatem*, *densitatem*, *Mollitiem*, *Asperitatem*, *gravitatem*, *levitatem &c.* in particulis varie juxta se politis consistere; & cæteroquin indubiam spem relictam esse, *Qualitates occultas* (non in se sed respectu nostri, & hinc forsan rectius insensibiles dictas) per ulteriorem sollicitudinem similiter pedetentim detectum iri.

Th. V.

Imprimis autem *Medico physico* non parum conducere potest, materiarum, quibus totius mundi compages conflata est; accurata & distincta cognitio, ubi cordatiores recentiorum philosophi satis ingeniose ab effectu ad causas argumentati *Tria distincta Elementa dicta* ad phænomenorum conceptum & resolutionem admodum quadrantia in medium posuerunt, & *Primum* (ne Aristoteli quidem incognitum, sed sub titulo Elementi astris analogi indigitatum) *in vix comprehensibili* λεπτομερείᾳ seu particularum subtilitate semper naturâ velocissime agitata, ignem & corpora lucentia constituente; *Secundum in paulo majoribus globularibus*, admodum tamen in respectu ad sensus nostros adhuc subtilibus corpusculis Ætherem & corporum pelluciditatem efficientibus; & *Tertium in variis reliquis crassioribus & sensibilioribus*, corpora opaca & sublunaria conponentibus statuerunt. Quâ distinctione admissa, facilius intelligitur, quomodo particulæ tertii Elementi, i. e. majores & irregulares pro ratione diversæ figuræ, ubique tamen magis vel minus primô & secundô Elementô interveniente, diversum corpus, v. g. rigidiusculæ & simul subtiliores *Ignem*, tenues & flexiles disjunctæ *Aërem*, Lubricæ flexiles & oblongæ arctius combinatæ *Aquam*, crassiores irregulares *Terram ejusque Incolas* omnis generis componant.

Th. VI.

Omnium maximè verò in nobilissima creatura HOMINE, non tantùm omnia Elementa, imo omnia miracula naturæ tanquam in speculo repræsentantur, sed & ideò eò magis Medico specialis hæc consideratio Anthropologica incumbit, quia Artis suæ subjectum est, & ad habitum suum *cum recta ratione effectivum* multum facit corpus humanum intus & in cute novisse. Tota verò hæc cognitio procul dubio non aliunde, *ac ex physitis* peti poterit, siquidem homo ex præstantiori præ aliis corporibus luto se factum haud jactat, sed totam *suam Existentiam* materiæ communi debet,

prop-

(propter quam etiam primario & immediate in DEO existit, vivit & movetur, ast mediatè TERRAM pro alma matre veneratur.) Determinatam autem *suam Essentiam* (quod præcisè homo & non aliud animal, vel etiam massa quædam informis sit) naturali dispositioni & Ordini semel à Deo introducto & adhuc conservato, acceptam refert; ut itaque NATURA ipsius tota, quantùm etiam alias supra intellectum nostrum extollitur & inter qualitates occultas communiter agmen ducit, in nullo alio, *quam certa fibrarum textura corporumque fluidorum motu* (quo fortiori eò ad heterogeneum & noxium expellendum potentiori) consistat.

Th. VII.

Subjicit se autem homo totus totus Theoriæ Medicæ, ejusque curæ se commendat adeò, ut ne *Anima quidem rationalis & immortalis* planè exulet, sed in tantum, in quantum cum corpore conjuncta hominem quà talem constituit, & ex lege divina corporis motus & dirigit & sequitur, ideò quoque suam inhabitandi & cum corpore communicandi concreditam potentiam Medico, non aliter ac ViceRoy Consiliario suo insinuet. Maximè vero & καӀ' ἐξοχὴν altera hominis pars essentialis ratione suarum partium vel *solidarum*, vel *fluidarum*, vel *Spirituosarum* huc pertinet; quæ ultimæ ob subtilitatem *Spirituosæ dictæ* quidem sub sensus nostros non cadunt, illarum tamen præsentiam ideò negare velle, ipsarum etiam insensibilium satis sensibilis effectus prohibet. *Vitale* enim *Principium* adesse nemo inficias ibit, in quo verò quærendum & statuendum sit, aliorum potius Prudentiorum, Præceptorum meorum Judicio subscribo, & vel *ad mentem Illustris & ingeniosissimi Physiologi, Excell. D. D. Bohnii* in MOTU, *vel juxta Magnificum atque Experientissimum D. D. Wedelium, Præceptorem & Patronum meum Parentis loco æternùm devenerandum* in ARCHÆO seu CALIDO INNATO, vel *cum Excellentissimo atquè Famigeratissimo Dno. D. Rivino, similiter Præceptore & Patrono meo observandissimo in* UNICO SPIRITU VITALI positum esse arbitror; ex mea tamen interim libertate (si quæ mihi super est) nihilominus suspicor, eos inter se adeò non differre, qui nomina saltim variant, reapse verò vix aliud quicquam, nisi *substantiam seu materiam subtilissimam & simplicissimam summè mobilem*, ad omnia in corpore humano movendum aptam creatam subintelligere videntur: eandem sc. quæ superius ex Recentioribus Philosophis sub nomine *materiæ primi*

Elementi seu aëris ætherisque subtilißimi à DEO primitus concreati, ad motum destinati, & singulis corporibus plus minus insiti, adducta est. DEO enim libuit in creationis momento materiam non tantum non informem creare, sed sine dubio etiam ipsis materiæ particulis subtilissimis tanquam aptissimis *Motum* continuò, nisi impediatur, durantem impertire, & per illum, uti partes Macrocosmi, ita etiam Microcosmi, movendo animare: hoc saltim discrimine, ut ipsi materiæ huic subtilissimæ per MAJESTATICUM SUUM FIAT, CRESCITE & MULTIPLICAMINI simul *vitalis character* communicatus sit, mediante quô ad qualescunque ideas & formas speciales assumendas adaptentur, & mox animæ vegetativæ, mox sensitivæ, adscriptas functiones modo tamen omnino magis mirando quam scrupulosè rimando præstent. Neque etiam video, num in functionibus hisce corporis nostri tutius ad nudum terminum *Facultatis Digestricis, Separatricis, Excretricis &c.* vel num immediate ad ipsum DEUM in causis hisce naturalibus currendum sit? aut annon rectius *Principio vitali nobis cum nato & nutrito* per singulare Privilegium & Plenipotentiam à DEO concessam, *Plasticam illam vim* in generatione & formatione, *determinatamque motionem* in digestione, chylificatione, sanguificatione, nutritione, respiratione, sensatione & motu locali attribuere possimus? semper tamen & ubique simul habitô respectu ad *Mechanicam organorum structuram.*

TH. VIII.

Post spirituosas & insensibiles particulas in canaliculis nervosis undulantes, *Fluida* etiam simul corpus nostrum animant, *Fluidum nempe nostrum universale, sanguis*, qui imprimis duo, (1) *cruorem* seu particulas rubicundas partim per Microscopium, partim per rationalem argumentationem instar rotundorum globulorum observatas, & (2) *Serum* seu particulas magis oblongas, teretes & flexiles cum oleosis salinis, terreis qs. irregularibus acutis, hamosis & ramosis inter se commixtas, denotat. Cujus tamen utriusque substantiæ jam combinatæ & *sanguinem perfectum* constituentis poris *particulæ subtilißimæ mobiles primi & secundi Elementi* se insinuant, & motum tum intestinum pro fluiditate, tum extrinsicum seu progressivum pro circulatione communicant.

TH. IX.

Tertiam tandem corporis partem absolvunt *partes solidæ* tum

sim-

ſimplices, tum *compoſitæ*, tum *decompoſitæ*, quæ ex particulis ſanguineis, (vel ſi mavis ex ſanguinis parte chyloſa gelatinoſave) antea fluidis per naturalem agglutinationem cohærentibus & quietis factis, primò in *ſimplices fibrillas* ſeu filamenta ab Anatomicis dicta formantur, ex quibus poſtmodum propter diverſam magnitudinem, figuram, texturam & connexionem etiam reliquæ inter ſe diverſæ *partes compoſitæ*, nimirum ex fibrillis hiſce æqualiter cohærentibus & contextis *Membranæ*, ex medullaribus cum membrana duplici cinctis *Nervi*, ex quadruplici vaſculoſa, glanduloſa, tendinoſa & nervoſa coalita membranâ *Arteriæ*, ex vaſculoſo-glanduloſis carneis & membranaceis fibris ſibi incumbentibus *Venæ*, ex membranaceis folliculis arteriolarum oſculis appenſis *Glandulæ*, ex membranis vaſculoſè contextis *vaſa lymphatica*, è fibrillis longitudinalibus craſſioribus rubicundis *Fibræ motrices carneæ*, ex fibris hiſce motricibus laxius compactis, intercurrentibus nervis & vaſis, cingentibuſque membranulis *Muſculi*, ex fibris nerveis conſtipatis & in arctum magis coactis extenſiſque *Tendines*, ex ipſis durioribus arctius coalitis *Ligamenta*, ex ſimilibus reticulares in laminas & planiformes firmius compoſitis induratiſque *oſſa*, ex iiſdem magis vero adhuc flexilibus *Cartilagines*, ex veſiculis ſeu lobulis membranaceis racematim poſitis oleoſa, pingui, butyraceâ ſubſtantiâ repletis *Pinguedo*, ex papillis ſeu fibris nerveis elongatis reticularibus cuticula circumdatis *Ungues*, & è materia viſcida tenaci fibrillis intertextâ *Pili* fiunt, prout *apud Excellentiſſ. Dn. D. Pauli*, *Anatomicum accuratiſſimum*, *Patronum & Præceptorem meum colendiſſimum* in collegio Anatomico-Experimentali Ἀυτοψία nos ſatis clarè docuit.

Th. X.

Omnia vero hæc compoſita corpuſcula, ubi ſingula ſeorſim ſumta nihil præſtant, niſi *decompoſitas corporis partes Organa dicta* denuo componant, ita & hæc ipſa organa quoque ulterius legitime componi, & inſtar Machinularum in horologio totum hoc *αὐτόματον animale* perficere, & tunc demum actiones, functioneſque ſuas edere oportet. Quæ actiones variæ obſervantur, prout homini partim per ſe & ratione individui, quatenus animal eſt, *τὸ Sentire*; & quatenus animal perfectum eſt, quoque *τὸ Locomovere*: partim ratione ſpeciei *τὸ generare* competit. Notabile autem eſt, neutram harum facultatum carere poſſe *vita & viribus*.

Vita verò nostra omnis, uti vix aliud quid, quam totius & singularum partium quotidianum dispendium & successiva mors est, *prout Excell. & supra laudatiss. D. D. Bohnius in Circ. suo Physiol. Anat. innuit*, dum non tantum Fluidi nostri perennis & satis potens vibratio sine notabili particularum secessu & depeculatione fieri non potest, sed etiam solidarum partium rigida & glutinosa poris harum impacta substantia per eundem adeo continuum appulsum & recessum deliquescit & detergitur. Ita ante omnia cogitandum erit de NUTRITIONE, nimirum (1) per *aërem* purum, ventis salubribus perflatum, exhalationibus fœtidis & heterogeneis non infectum, ad spirituum generationem aptum: & (2) per *Alimenta* congrua, temperata (*ad mentem illustris Wedelii*) nullo eminente vel ingrato odore & sapore prædita, unô verbo talia, quæ à ventriculo non difficulter subiguntur, & in proportionata quantitate materiam quandam oleoso-gelatinosam cum sale volatili temperatam largiuntur, & quarum particulæ cum partium solidarum, fluidarum & spirituosarum corporis nostri poris conveniunt, aut non multum contrariantur. (Nisi interdum aliquid consuetudini dandum sit.) Quibus hinc positis, sine dubio NUTRITIO non tantum cum *vita* pari passu ambulare, sed etiam primarium locum meritò occupare & interea pro fonte reliquarum actionum, imò ipsius SANITATIS haberi poterit.

TH. XI.

Totum autem *Nutritionis opus* admodum eleganter à Viris supra laudatissimis & aliis oculatioribus Naturæ ministris *sub Generatione renovata & continuata* concipitur, ubi eadem materia sanguinis sc. particulæ chylosæ, oleosæ & gelatinosæ, ab eadem causa efficiente, *Spiritu vitali* mediantibus variis *instrumentis* præparantur, separantur, assimilantur, legitimè disponuntur, & formaliter connectuntur. *Instrumenta* vero seu *Organa* prima symbolum suum huc conferentia commode sub nomine *Præparantium* venire possunt. Postquam nempe *fibræ tunicæ* ventriculi nerveæ inanitæ, vel præ siccitate aut salsedine corrugatæ per objecta privativa spiritus moverunt ipsisque ideam defectus privati & publici (*in fame & siti*) impresserunt; Appetitui huic nostro per *Alimenta* satisfacimus, quæ tunc *ore* assumuntur, *dentibus* masticantur, *lingua musculo* convolvuntur, glandularum & vasorum lymphaticorum exstillato *Menstruo salivali* irrorantur, in *œsophago* ob tunicas nerveas stimulatas mediantibus fibris motri-

cibus

cibus decussatim descendentibus deglutiuntur, in *Ventriculo à succo salivali* tunicarum glandulis egresso tanquam fermento vel menstruo *Salino seroso* denuò imbuuntur, à vasorum sanguiferorum & adjacentium partium communicato *calore* digeruntur, parietum ventriculi fibroso-carnosorum continuò atterentium, aliorumque musculorum abdominis & diaphragmatis *motu* adjuvantur & promoventur, in *Intestinis* tanquam ventriculo continuato eodem modo continuantur, novo glandularum *pancreatis succo* diluuntur, *bile* per canalem choledochum affusâ oleosæ particulæ ciborum cum aquosis intimius (ad instar vitelli ovorum in emulsionibus) coaduniuntur & in perfectum *chylum lacteum* rediguntur, qui tunc *motu peristaltico* à fibris carneis circularibus & longitudinalibus superincumbentibus naturaliter causatô protruditur, osculis vasorum lacteorum (relictis crassioribus particulis excrementitiis longius per *colon* provolvendis & suo tempore mediantibus *sphincteris fibris* orbicularibus relaxatis per anum emittendis) instillatur, ex ipsis per motum semel impressum & valvularum structuram in *cisternam lumbarem*, & ex hac per pulsum arteriæ aortæ & impetum diaphragmatis in *ductu thoracico* elevatur, sanguinique in *vena subclavia* admiscetur; Qui cum sanguine ita confusus statim *Organa muteria* subit, à *corde* quidem excipitur; statim tamen ob stratum fibrarum antagonistarum oblique & spiraliter inter se invicem occurrentium, motumque ita indesinenter mutuum urgentium iterum ejicitur, *Pulmonum vasis* infunditur, ut *aëris* in inspiratione per arteriam asperam irruentis *impulsum*, ipsiusque *partem defæcatiorem* & subtilissimam in se recipiat, donec per *venam pulmonalem* in cordis ventriculum sinistrum redux *Organis* etiam *transcolatoriis* demum traditur, in *Lienis* cellulis stagnans aliquid seri per copiosa vasa lymphatica dimittit & ad ulteriorem secretionem se accingit, in *hepate* per glandulosos acinos à biliosis particulis liberatur, in *glandularum* salivalium, pancreaticarum, subcutanearum &c. cribris dephlegmatur, in *Renum* tubulis serum salino-tartareum separatur & per *ureteres* in *vesicam*, ex hac verò per *urethram* planè excernitur. Ut ita hic *chylus* sanguini admixtus & cum ipso circulatus in sanguinem ipsum convertatur, & solas convenientes aptasque particulas nutribiles retineat, quæ tandem (postquam prius nobiliorem sui partem tanquam tributum

 seu

ſeu decimas in quæſturam publicam, quà cerebram fungitur, pro *conficiendis ſpiritibus* ſolverunt) motu ſuo vitali & blando ſuaviter quaſi titillando *calorem naturalem* excitant, & poris partium depletis adaptantur, totique per ſuperficierum ſimilitudinem (quod firmiſſimum gluten eſt) *incorporantur.*

TH. XII.

Poſita itaque in utero legitima partium *conformatione*, (quæ omnino à ſpiritu Parentum & ſanguine materno intra uterum minus vitioſum & à nullis injuriis externis turbatum legitime ſe habente proceſſerit,) nihil ſane ad ulteriorem integritatem extra uterum requiritur, quam ejuſdem *conformationis continuatio & conſervatio*, quæ itidem non aliter quoque ac per legitimam NUTRITIONEM perficitur, quando nempe *Archeus ſeu ſpiritus vitalis* in quantitate ſufficiens, in qualitate ſimplex, ſubtilis & vigoroſus, *Maſſaque Sanguinea* in craſi debita i. e. particularum aquoſarum, oleoſarum & ſalino terrearum eadem proportionata miſtura per aërem admiſſum & chylum ſanguineum continuo conſervatur: non poteſt non ille (*Spiritus*) etiam continuò actionibus corporis præeſſe, & hæc (*Maſſa Sanguinea*) per deperditarum particularum indeſinentem reſtitutionem, niſi per ſtructuram pororum ab extra violenter mutatam particulæ nutribiles abarceantur, organa in priſtino vigore & integritate conſtanter continere. His verò conceſſis, non video quid amplius medicus curet? & quid impediat? cur corpus vivum & ubique legitimè nutritum organis ſuis non uti, & *ſentire*, & *ſe movere* & *generare*, quando vult & debet, inculpatè poſſit? & uno verbô SANUS ſit? cum omnium conſenſu tamen *Potentia actiones exercendi* Sanitatis medius terminus ſtatuitur.

TH. XIII.

Sed uti in ſtatu naturali tota *Sanitas* à conformatione legitima partium, ipſaque per nutritionem conſervata dependet, ita econtrà IMPOTENTIA, ubi actiones minus integre & cum δυσφορία eduntur, Medicique opem ideò implorant, etiam aliter corpori ejuſque partibus non accidit, niſi propter NUTRITIONEM vel ab extra in deſtructione violenta pororum, vel ab intra in partium nutrientium ſtatu vitioſo LÆSAM. Ex quô enim vivimus, ex eô & lædimur, & tantum non omnes *morbi* interni in fonte vitæ & ſalutis noſtræ, qui hinc & Lerna malorum

eva-

evadit, nempe *in Spiritibus & massa sanguinea* concipiuntur, foventur, & exerunt se in organa genitalia, motoria & sensoria, eorumque actiones lædunt; imo *organa nutritioni dicata ipsa* (præparantia, moventia & secernentia, quorum supra facta fuit mentio) afficiunt. Dum enim semel officio suo in chyli sanguinisque elaboratione malè functa fuerunt, & hinc reliquarum partium nutritionem, frustrarunt, statim & ipsa simul pœnam talionis luunt, suique proprii infortunii & debilitatis fabri fiunt, siquidem qs. in circulo vitia organorum præparantium in chylum, chyli in sanguinem, sanguinis in totum corpus, & conseq. etiam in ipsa organa prima redundant.

Th. XIV.

Ast præter organorum neglectionem corrumpuntur etiam imprimis *succi vitales suaves roscidi oleosi dulces*, & vel in nimis *rarefactos* vel impuros *fermentescibiles*, vel *Aquosos*, vel *crassos pituitosos terreos*, vel *salino-acres* degenerant, ad nutriendumque inepti fiunt propter *materiam ingestam & digestam* in primis viis. Si enim saltim ex physicis præsupponitur, quàm capax sit textura *aëris* in se recipiendi qualiacunque effluvia, imò quàm impura ipsa jam actu *atmosphæra nostra aërea* deprehendatur, ut cum principio hoc vitali plerumque principium morborum & mortis ipsius propter admixtas particulas heterogeneas, magnitudine, figura, textura & motu à particulis spiritûs nostri vitalis connati multùm abludentes, partim per asperam arteriam inspiremus, partim per alia subtiliora loca admittamus. Par ratio quoque est *cibi & potus*, qui soli ferè chylum adulterant, & sæpè statim simul ac palato blanditi, cavumque ventriculi ingressi sunt, genium suum pravum & infensum produnt. Hinc *quantitate abundantes* mole sua ventriculum & intestina gravando, erugando, nauseam & anxietates molestas creant: *Deficientes* spiritibus allectis & urgentibus minus satisfaciunt &c. *Calidiores* vehementius impetunt, motu suo particulas humidas dissipant, ardorem, sitim, obstructionesque alvi inferunt: *Heterogenei fermentifici* per calorem in putamen putridum abeunt, rarefaciendo cavitates anxiè inflant, & flatus ructusque nidorosos post se relinquunt: *Aquosi* tonum ventriculi laxant, sal digestivum diluunt nimis, calorem repellunt & lubricando lienterias fluxusque alios promovent: *Crassi & viscidi* fermentum salinoserosum enervando & inviscando appetitum destruunt, ob-

pa-

particulas graves irregulares cohærentes & minus mobiles difficulter aërifantur, cruditates pituitosas generant, & verminoso seminio aptum nidum præbent: *Salini acres* tunicas Ventriculi nervosas vellicant & irritant in singultu, vomitu erosione &c. motum intestinorum peristalticum stimulando urgent, & fluxiones alvi quascunque causant &c. In summa chylus non est chylus, sed inutile caput mortuum, quod neque lacteo colore vel grato sapore & odore se commendat, sed magis cloacam, quàm œconomiæ animalis culinam redolet.

TH. XV.

Qualis autem chylus, talis sanguis, & qualis sanguis, talis sanitas. Vitia enim primæ coctionis non penitus corriguntur in secunda vel tertia, sed eadem cum chylo in sanguinem transferuntur, ibi inter undulandum & circulandum licentiosè malitiam suam exercent, & tandem in poris partium alluentes, non tantum non nutriunt, sed etiam cum summis cruciatibus & infinitis ruinis parietes afficiunt. Sic *abundantes particulæ sanguineæ* prima fronte quidem excessu pecare vix posse videntur, cum in se bonæ sunt, & in bonis non facile exceditur, tamen ob copiam in vasis coarctatæ se ipsas detinent, motum intestinum & progressivum inhibent, vasa premendo lassitudinem & torporem injiciant, majus spatium quærendo parietes rumpunt, vel oscula vasorum laxant, poros carnis obruunt, fibras in tumores extendunt, & loco nutrimenti proportionati corpori plethoram, obesitatem nimiam, gravitatem, pigritiem &c. conciliant. Idem judicium esto de *Defectu sanguinis & spirituum*, qui diu tolerari nequit, cum motus inde debilitatur, vires imminuuntur, fibrillæ vasculosæ collabuntur, membra exsiccantur & flaccescunt, spiritus depauperati organis vigorem naturalem detrahunt, tristitiam somnolentiam &c. inferunt.

TH. XVI.

Maximè autem in sensus (tristes) incurrunt *Qualitatum Vitia*, quando *particulæ vel calidiores i. e. subtilissimæ primi Elementi largiores* sanguinis consistentiam interrumpendo & rarefaciendo circulationem impediunt, motum citando qs. ebullitionem causant (in febribus), spiritus inquietant, fibras justô celerius movendo calefaciunt, dissipando exsiccant, vinculaque non rarò perrumpunt & sese commodo hospitio exuunt: Vel *heterogeneæ crassiores inæqua-*

quales salino-sulphureæ fermentescibiles σύςασιν sanguinis, proportionem & motum turbando, coagulationem, fermentationem & orgasmon periclitantur (in febribus malignis &c.), continentes partes non suaviter titillando, sed impetuosè & improportionatim illabendo *horrorem*, & vasa capillaria obstruendo *frigus* &c: incutiunt, postmodum coactô & auctô cordis motu rarefiunt, cum æstu ebulliunt, vires ob motum minus vitalem disjiciunt, spiritus variè stimulant, agitant & confundunt, ob motum inæqualem non tantum magis depascunt & humidum difflant, sed etiam heterogeneas particulas poris partium affigunt, quæ nisi explodantur, tumores, inflammationes, exanthemata, maculas &c. producunt. Vel *Aquosiores* lubricitate sua gelatinositatem nimis diluunt, oleosas particulas sanguinis obtundunt, ob fluxilitatem extravasantur, loca peregrina inundant, & hydropem, sudores, tumores aquosos, salivationes, catharros &c. corpori conciliant. Vel *crassæ pituitosæ* terrestreitate sua incrassant, sanguinem inviscant, motum sufflaminant, secretiones naturales remorantur, vigorem naturalem occultant, fibrillas solitô minus movendo refrigerant, spiritus non generant, sed generatos obnubilant & flatulentos reddunt, oscula vasorum & glandulas obstruendo, visceraque infarciendo cachexiam fovent, in tubulis musculorum stagnando livorem & pallorem inducunt, calorem extinguendo impotentias varias inferunt, crassitie sua flatus, coagula tartarea, scirrhos &c. pariunt, nervorum poros obstruendo spirituum motus impediunt, & hinc affectus soporosos, catalepticos &c. causant. Vel *acres salsæ* dulcedinem humorum vitalium cum acrimonia scorbutica commutant, in sero solutæ fibras continuo stimulando lympham fundunt, nunquam nutriunt, sed mollitiem & oleosam partium substantiam potius abradunt, solvunt, & per glandulas subcutaneas sub forma sudorum colliquativorum, vel per vias urinarias cum lotio ablegant, in quacunque corporis parte hærentes acie sua pungente fibris periculum solutionis intentant, sensum tristem & dolores varios inæqualitate sua faciunt, impatientes nervos irritando convellunt, & quando fibrillæ carneæ nimium quantum passæ sunt, inflammationes, ulcera, fluxiones &c. subministrant. Imprimis verò inter salinas *Acidæ* sanguini confusæ particulas sulphureo-volatiles figunt & coagulant, terrestres particulas sibi adjungendo austeritatem assumunt, humo-

mores coagulant, incrassant, spiritus figunt, oscula vasorum corrugando obstruunt, capillaribus vasculis & poris insinuatæ stagnant, stagnantes ulterius acescunt, acescentes lancinant & erodunt, innumerosque eventus alios, satis tamen tristes suppeditant.

TH. XVII.

Ex quibus hinc facile patet, *has recensitas qualitates vitiosas* vel singulas seorsim, vel inter se conjunctas *Nutritionem lædere*, & sub hac læsione omnes morbos, actionumque quarumcunque impotentiam commodè complecti posse. Imprimis si hisce causis morbificis, *aëri sc. & cibo corrupto*, ex rebus non naturalibus vulgò dictis reliquæ quædam adhuc addantur, nempe (1) *Motus nimius*, qui chylum justo citius ejicit, in vasa præcipitat, subtilesque sanguinis & spirituum particulas nimis agitando dissipat. (2) *Quies, immoderata* motum remorans, segregationes debitas sufflaminans, humores incrassans & spiritus torpidos reddens. (3) *Animi Pathemata* quæ sanguinem & spiritus variè dispensant, vel laxando & movendo ad extra, in ira, gaudio &c. vel concentrando ad intra in terrore, metu, tristitia &c. Cæteræ autem ut *somnus & vigiliæ, Excreta & retenta inversa* potius sunt nutritionis ipsius vel bonæ, vel læsæ producta, & sanitatem aliter non lædunt, ac symptomata, quæ sæpe aliorum symptomatum supervenientium causæ fiunt.

TH. XVIII.

Notabile autem interim & hoc est, quod in omnibus morbis communiter & plerumque NATURA pro *causa efficiente* accusetur, summa tamen, uti puto cum injuria & accusatorum ignorantiæ proprio testimoniô. NATURA enim i. e. *sanguinis & spirituum motus ab organorum structura & omnium connexione automatica dependens* superius allegato modo vel ab extra, vel ab intra sibi vim inferre potius patitur, imo pati ob materialitatem suam cogitur: nec etiam præterea ullo modo dolosè nobiscum facit, sed magis, quantum possibile est, motu & nisu suo adhuc durante resistit & expellit hostem, vel adminimum ipsum non latere, aut clam insidiari sinit, sed continuo movendo & impellendo urget, ut hostis manifestè operetur & se instar muris prodat. Interea verò sola NATURA resistentiæ omni inpar, *Medicum consiliarium, & fidum ministrum suum* in auxilium vocat; qui rebus sic stantibus nihil aliter

ter agit, quam quod juxta artem suam ex signis rationaliter ad causam argumentandi, *Antecedentia*, ut aërem, alimenta assumpta, motum, quietem & animi pathemata reminiscendo: *Præsentia* ut actiones læsas, qualitates mutatas, excreta & retenta inversa, imprimis vero *Urinam & pulsum* diversimode pro particularum in corpore latentium & lædentium conditione variantem considerando, *Hostium* præsentiam, proprietatem, copiam, robur, sedem, machinamenta & insidias exinde *dignoscat*: VIRES verò cum hostis oppugnantis vehementia, sede, & constantia conferendo, Eventum quatantenus *prognoscat*. Et præterea uno oculo *naturam obsessam* respiciat, alterô vero *hostem supprimendum ejusque subsidia nova* maturè reprimenda prospiciat. Quæ generalis morborum indicatio fundamentum est Medicinæ in partem *diæteticam* & *therapeuticam* bipartitæ, & *regulas medico practicas* (quæ tamen magis naturæ quam artis regulæ sunt) muta voce nobis ita dictat. (1) *Quod integrum & secundum naturam est servandum, quod præter naturam, tollendum esse.* (2) *Similia similibus conservari, contraria contrariis (si non à priori, tamen à posteriori & effectu talibus) curari* (3) *Symptomatibus urgentibus & viribus periclitantibus, antequam planè deficiant, & nobis omnem occasionem benè agendi præcludant, seorsim succurrendum esse.* Ad cujus executionem etiam NATURA Medico duplicia arma vel ex *penario victuali*, vel ex *armamentario pharmaceutico & chirurgico* depromit.

TH. XIX.

Antequam autem Medicus *naturæ* effectivè subveniat, & à Medicina hac *cognoscente ad curantem* progreditur, restat ipsi adhuc altera pars theoriæ Medicæ, nempe ut præter cognitionem status hominis naturalis & præternaturalis etiam *acceptorum Armorum i. e. Medicamentorum* notitiam calleat, illa tanquam liberalissimæ benificia *naturæ* naturaliter consideret, ipsorumque virtutes non ex scholasticis qualitatibus intentionalibus & occultis, sed ad naturæ ductum *cum indefesso & felicissimo naturalium medicamentorum scrutatore, Illustri Wedelio, Præceptore meo etiam in hac parte fidelissimo* ex particularum varietate & exinde ortis indicibus, *Colore, Odore, Sapore, non exclusa analysi chymica*, si non seorsim, tamen conjunctim derivet, & simplicium *operationes mechanicas* omnibus obvias, dudumque ab experientia probatas, quatenus (*nervosè admonente Excell. D. Rivino in Disp. de Medicam: propr.*) Aquea humectant &

 diluunt,

diluunt, terrea desiccant & absorbent, viscida incrassant & conglutinant, dulcia temperant, austera adstringunt, acria attenuant, aperiunt, excitant, & si nauseosa fuerint, ἄνω & κάτω purgant, spirituosa corroborant &c. animadvertat. Ex hisce enim utrisque (ex structura nempe corporis & textura materiæ medicæ) *tertium* Medici dogmatici requisitum, remediorum *in corpore modus operandi* innotescit. Qui numerus scientiarum *ternus* nunc demum perfectus est, & Medicum *dignum Naturæ ministrum* declarat, quem *Experientia* tum propria, tum Præceptorum suorum & aliorum fide dignorum Autorum ulterius in officio suo confirmat. Ita tamen, ut *Empyria* sola nisi rationibus roborata in praxi non admittatur, & ideô Medicus juvenis, licet ipse statim non experientissimus, modo judiciosus sit, satis *juxta B. Etmullerum* valeat si non ubique feliciter quà vitam, (*cum non sit in medico semper relevetur ut æger*) tamen legitimè quâ artem suo mandatô munere fungi. Datur enim in Medicina aliquid, *uti Clariss. Waldschmidius in suis monuit Epistolis*, quod neque scribi, neque dici potest, sed à solo *judicio* dependet, APPLICATIO AD INDIVIDUUM, ubi Medicus rationalis veritatem naturæ authoritati Doctorum longè præfert, & ægros suos non per decantata empyricorum *Arcana & Panacæas* fatis stoicis consecrat, neque etiam *veterum temperamentis qualitatibusque primis* unicè per contradictoriè opposita, calida, frigida, &c. corrigendis se mancipat, sed potius observatis circumstantiis Medicamenti agentis virtutem ad Patientis tolerantiam proportionat.

TH. XX.

Uti autem in omni curatione methodica non tam morbus, quam causa morbi à Medico attenditur; *Causa* verò universalis morborum interna mihi *Corruptio materiæ nutrientis* est, ita aliter statuere non potero, quam omnium morborum (*exceptâ Abundantia & defectu, cui primariò sanguinis imminutio & diæta competit,*) generalem indicationem esse, CHYLI & SANGUINIS PURIFICATIONEM, omniaque *medicamenta interna* soli huic intentioni respondere debere; ita tamen ut magnam suæ operationis partem in primis viis novum accedentem hostem in prima qs. herba jugulando, absolvant, & reliquum in massa sanguinea adhuc alterandum, partim quibusdam ipsorum particulis eò usque detentis, partim verò & quidem principaliter BONITATI NA-

TU-

TURÆ motu ſuo vitali ad concoquendum & egerendum committant. Notandum interim de hac noſtra hypotheſi, facilius omnia *ſpecifica* partium ſolidarum dicta, *Cephalica*, *hepatica*, *ſplenetica*, *uterina* &c. excludi, quàm admitti. Cum unus ſaltim ſpiritus, unuſque ſanguis eſt, qui æqualiter omnis noſtri corporis partes animat & nutrit, & qui ſimul in momento curationis medicamenta ultra primas vias progredientia ſub ſuo dominio per motum æqualem omnibus partibus unicè diſpenſat, ut eadem medicamenta hodie hepati, cras lieni, perendie renibus &c. prout vel in hac vel in illa parte materiam corrigibilem attingunt, (*ad mentem clariſſ. Waldſchmidii, Williſii & plurimorum Recentiorem*) ſuccurrant, & cæterùm medici huc vel illuc dirigentis juſſum minus auſcultent. Niſi forſan ſoli *ventriculo* hunc honorem reſervare, & in ipſo ſimilia ſimilibus *ſpecificè* conſervare, i. e. per *aromatica & ſalina* fermentum ſalſum augere, fibraſque nerveas cum ſuis inhabitantibus ſpiritibus roborare velimus. Quod autem ad ſpecifica ſano ſenſu dicta i. e. uni cauſæ morbificæ præ alia convenientiora ſpectat, illa firmo ſtant talo, nec etiam de illis in præſentiarum quicquam dicam, niſi quod à Medico Dogmatico ex tempore ex ſubſequentibus enumeratis ſimplicioribus in Calefacientia, Frigefacientia, Aperientia, Carminativa, Bezoardica &c. componi & circumſtantiis adaptari poſſint.

TH. XXI.

Accingit ſe itaque Medicus, & poſt *Diætam* ſupra jam Th. X. breviter allegatam, quæ ipſius *Scutum* eſt, *arma* qq. ſtrenuè capit, quibus hoſtem rebellem vel *plane fugat & evacuat*. Et talia ſunt (1) EMETICA, quæ particulis vel copioſis, oleoſis, aquoſis ventriculi fibras gravando, laxando & lubricando: vel nauſeoſis plus minus acribus irritando, ſpaſmodicè vellicando ſubſtratas fibras carneas ſurſum trahendo, ſaburram primæ culinæ eliminant: vel glandulas arteriarum extremitatibus appenſas convellendo, duodenumque in ſpaſmum citando præter bilem & ſuccum pancreaticum etiam reliquos corporis humores excutiendo ἄνω educunt. (2) PURGANTIA quæ ſimiliter particulis vel humidis, pinguibus, mucilaginoſis excrementa humectando, diluendo, fibrarum tenſiones laxando, lubricando, abſtergendo: vel ſalino-ſulphureis fermentativis acribus fibrillas inteſtinorum ſtimulando, motum periſtalticum accelerando, contextus glan-

dulosos vellicando serum fundendo, biliosos serososque humores una cum fœcibus κάτω expellunt. (3) DIAPHORETICA, quæ particulis vel subtilibus volatilibus sulphureis sanguinem agitando & rarefaciendo, vel terreis alcalinis acidum coagulativum absorbendo, fluorem sanguinis & motum restituunt: vel acribus (*juxta Exc. D. Rivinum*) sine dubio fibras & totius corporis & cordis simul vellicando, spiritus commovendo, motum & orgasmon sanguinis accelerando, lympham per poros glandularum subcutanearum propellunt. (4) DIURETICA, quæ vel aquositate sua serum substantialiter augendo & diluendo, vel per salia obstructos poros reserando, viscidiores humores attenuando, fluxiles reddendo & præcipitando, illud quod heterogenum est secum per vias urinarias foras abripiunt. (5) SALIVANTIA, quæ vel sale suo acri aromatico glandulosas membranas faucium nariumque irritando, vel spiculis salinis mercurialibus massam sanguineam intimius colliquando, per glandulas & ductus salivales mucum & salivam effluere cogunt.

Th. XXII.

Vel Medicus contumacem hostis pravitatem *corrigit & supprimit per Alterantia* quæ (1) per corpuscula subtiliora, molliora, spirituosa, Salia volatilia, sulphurea, circulantes humores movent & RAREFACIUNT: (2) per particulas crassiores acidas, sulphureis volatilibus se associantes, ipsarum molem augent & agiiltatem sic evertendo FIGUNT: (3) Acrimonia & partium rigiditate salina aromatica viscositates pituitosas seu particulas nimis cohærentes interrumpendo ATTENUANT: (4) Fluiditate particulas à se invicem disgregando DILUUNT: (5) Per particulas dissimiles humorum variorum mixturas infringunt, turbant & PRÆCIPITANT: (6) Terrearum particularum porosa irregularitate acidi spicula excipiunt, abscondunt & ABSORBENT: (7) Lentore terreo & mucilaginositate gummosa mobilibus & flexilibus particulis se immiscent, motum earum intercipiunt, & humores INCRASSANT: (8) Tandem mollitie & sulphurea complicabilitate acutas Salium particulas inviscando acrimoniam TEMPERANT.

Th. XXIII.

Vel Naturæ obsessæ immediatè succurrit medicus (1) per ANODYNA, quæ particulis sulphureis crassioribus halituosis papaveraceis spiritus

ritus (ſenſationis principium) diſſipatos concentrant, inquietos & inordinatos demulcent, externeque fibras tenſas laxando & roborando mitigant. (2) Per EXCITANTIA, i. e. ſubtilia Salia volatilia &c. ſenſiles partes irritando latentes ſpiritus non aliter ac ab extra per clamores, puncturas, titillationes &c. cogentia. (3) Per ANALEPTICA, CONFORTANTIA & VIRES REFICIENTIA, quæ vel particulis alimentaribus puris à ſcoriis & cruditatibus liberatis, (*ne juxta Hippocratem corpora impura quò magis nutriantur, eò magis lædantur*) aut medicamentis ſaltim alimentoſis temperatis, chylum & maſſam ſanguineam ſubſtantificè augent: vel mediantibus exhalationibus ſubtilioribus ſpirituoſis, gratis, odoratis, aromaticis, ambratis multum materiæ ſubtiliſſimæ, ignobilioribus particulis minus incarceratæ continentibus, ſpiritus fibrarum oris, palati, œſophagi, ventriculi & inteſtinorum incolas immediatè afficiunt, ipſis aſſimulantur, & ita totum corpus roborant.

TH. XIV.

Ab altera autem nutritionis læſæ parte fiat *pororum & partium externarum ſolidarum deſtructio*, quando vel ab intra extrorſum variæ ruinæ, tumores, ulcera &c. vel ab extra per injurias externas factas, contuſiones fracturæ vulnera &c. accidunt. Quibus Medicus peculiari armorum genere, remediis nempe externis *Topicis* dictis ſuccurrit; & primario quidem partes corporis externas ſolidas tanquam totidem tecta & munimenta *Naturæ* diruta cataplaſmatibus, emplaſtris &c. cuſtodit, defendit & reſarcit; ſecundariò verò internos quoque *Naturæ molimina* ab extra adjuvat & promovet. Talia itaque ſunt, quæ vel per particulas flexiles, ramoſas, oleoſas, ſalibus ſimul modicè complexas rigiditatem partis alicujus tollunt & fibras tenſas EMOLLIUNT. Vel λεπτομερείᾳ ſua poros penetrando materiam contentam rarefaciunt & DISCUTIUNT. Vel particulis plus minus acutis elaſticis activis poros dilatando & laxando humores ATTRAHUNT. Vel frigore & particulis conſtrictivis poros cutis opplendo, affluxumque humorum arcendo REPELLUNT. Vel auſteritate acido-terrea poros fibraſque corrugando ADSTRINGUNT. Vel craſſis & minus mobilibus particulis poros obſtipando INDURANT. Vel partes vulneratas balſamica oleoſitate condiunt, aërem arcent, ſanguinis glutinoſita-

tem

tem conſervant, aut ulcerum ſorditates extergunt, ichorem ſtillantem exſiccant, particulis hamoſis & viſcoſis poros obſtruentibus ſuppurationem maturant, diviſaſque partes glutinoſitate emplaſtica conjungunt, & ubique *Naturam operantem* ſub nomine medicamentorum TRAUMATICORUM adjuvant. Tandem quod *Medicamenta* non ſanant, id præter *manualem operationem* FERRUM & IGNIS ſanat.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I.

Medicus non poteſt eſſe verus naturæ miniſter, *niſi naturam etiam extra corpus humanum, in ſuis regnis, theſauris & deliciis cognoſcat.*

II.

Hinc Medicus rationalis non ſit hoſpes in regno animali & minerali, multò minus in vegetabili.

III.

In Medicamentorum enim diſpenſatione & ipſorum facultatum cognitione ſolis aliorum ſomniis ſubſcribere, & Veterum formulis ſeſquipedalibus unicè ſe mancipare velle, eſt diffidentia in DEUM, Contemptus beneficentiæ naturæ, abuſus ſui ingenii, & artis ſummum detrimentum.

IV.

Magis interest, Medicum esse Anatomicum quam Botanicum

†*Maximè itaque intereſt, Medicum eſſe Botanicum.*

V.

Imprimis vero præſtat, eundem eſſe ambidextrum, i. e. utriuſque veterum & recentiorum Methodi gnarum; Illius propter uſum, & hujus propter doctrinam.

FINIS.